

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Contenta Hoc Libello Carmen ad libellu[m] vt sibi  
patronum querat Virtus et Voluptas**

**Pinicianus, Johann**

**Auguste, 1511**

[urn:nbn:de:bsz:31-271655](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271655)



1947

42 A 1237 RH

*Pintiani Augustani*

**CONTENTA HOC LIBELLO**

**Carmen ad libellū vt si bi patronum queras**  
**Virtus et voluptas**  
**Carmen de origine ducum Austrie. et alia.**  
**Carmen de armis Venetorum**

**Ad lectorem**

**Est gratus paruis nōnunq̄m fructus in hortis**  
**Quod placeat. paruus sepe libellus habet**

Othmari Trepotis Epigrāma  
Smyrna suum vatem celebret / latiiq; Maronem  
Vindelice laudem Pinitianus habet  
Differit hic quantum cedat male sana voluptas  
Virtuti / angusta .n que docet ire viam  
Hunc Numa collitret: relegāt Senecęq; Catones  
Est pius est castus hic liber estq; grauis

F. Phileti

Nos tibi dulcem petimus quietem  
Docte præceptor tenerę iuuentæ  
Qui doces magno subeunda cæli  
Tecta labore  
Dū tibi dignos tribuant honores.  
Moribus quando iuuenes pudicis  
Instruis, sacram facili Mineruam  
Tramite monstras  
Ergo lætali pereant sagitta  
Qui tuum falso maculant amore  
Nomen / o Corui precor assequantur  
Fataq; Batti.

26

AD LIBELLVM VT PATRONVM

querat dicolon distropon

Iohannis Piniciani

Audi quæ moneo. prius  
Quam remos tumidis fluctibus inferas.

Quam vel monstrifico mari  
Te credas. bonus est nauita cimbule

Quærendus fragili tuæ.  
Qui cursum doceat. teq; p improbam.

Scylleam rabiem vehat.  
Quem cœlum nequeat fallere turbidum

Sed quem conuenies uirum?  
Qui tecum dubio nauiget æquore:

Hic sunt in patrio solo  
(Non indos opus est querere terminos)

Quos nullus superat labor.  
Si tentare iubes Herculeas uias

Aut si Taprobanen cupis  
Audent Caucaſeos uifere vultures.

Sed Calec utium puto  
Non ibis. nec ad æquoreas aquas

Non longe a patriis focus  
Discedes. rudis. excors. nihil eloquens.

Sed quocumq; pedem moues  
Certe te rapiant inuiduli canes

Nam sunt vndiq; mordici  
Villis. yrbibus atq; in regionibus.

Hij nomen ferient tuum

Indignum veniet scilicet in diem:  
Verum si monitus meos  
Amplexus fueris: nulla picula  
Contingent animo tuo.  
Perges mille vias tutus ab emulis.  
Nosti si memini bene,  
Hic ut sit patriæ gloria nobilis  
Vir vita grauis. integer:  
Quem patrem historiæ carmina p̄dicant:  
Quem vel Calliope suum.  
Quondam progenuit pignus amabile  
Hunc omnes Carites amant  
Cuius lingua manat flumine lacteo.  
Certam crede mihi fidem:  
Prestabit decus et presidium meum.  
I ne qua tibi sit mora.  
Non inuitus erit dux bonus. & pater  
Doctos inter habebereis.  
Irridebit opus nulla ciconia  
Quin uiso duce maximo  
Virus lætiferum scorpio supprimeat.  
Tutorem quis. n. tuum  
Non magnificet. non venerabitur:  
Nomen forte latet viri:  
Quod fama super est ethera cognitum  
Peütinger pete. sic uocant  
Et dices. meritas post mihi gracias  
Augustę. pridie cal. Ian. anno. M. D. X.

## ARGVMENTVM PRÆSENTIS

dyalogi

Carolus adulescens, illustrissimus Burgundię princeps, dum uenationi operam dat, uenit in solitudinem. Heremiteę, genus nomē, et erroris sui causam indicat. A Voluptate dein multis dum morat' blanditiis Virtute duce ereptus, per graues et immēsos labores immortalitatem uerat, esse cōsequendam edoctus est.

## PROLOGVS

Humanam uitam sapientes duabus potissimum rebus consiliter censuerunt. uirtute. s. et uoluptate. Hinc non inepte quidam duas uias: uirtutis vnam quæ ad uitam: uoluptatis alteram, quæ ad penā duceret. esse uoluerunt, Atq; eā quæ sit assignata uirtutibus. primo aditu esse arduam & confragosam. In qua si quis difficultate supata, in sūmū eius euaserit. habere eum de cætero planū iter. amenumq; campū. et omnes laborū suorū capere fructus ueros atq; iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit: omnes in eam uitiorū uiam labi atq; deflectere. quæ primo ingressu sit quasi amena. deinde cū in eam paulo ulterius pcesserit. amenitatis eius speciem repente subduci. Exoriri autē uia p̄cipitē. nūc saxis asperam nunc obductā sentibus. nunc gurgitibus intercisam, uel torrentibus lapideā, ut laborare/herere/labi/cadere, necesse sit.

a iii



Quæ omnia eo pferuntur vt appareat in uirtutibus  
capiendis labores esse maximos / in perceptis autē  
maximos fructus. solidas & incorruptas uolupta-  
tes. Vitia vero allicere animos humanū et inanium  
iucunditatum specte captos ad acerbis amaritudi-  
nes miserias q̄ perdere. Hoc adeo uidere licet in  
nobilissimæ / clarissimæ q̄ indolis adulescente Ca-  
rolo duce generosissimo qui iam id ætatis agens, de  
tota uita sua instituenda deliberationem sumat. In  
solitudinē casu quodam deuenit. Vbi ambas illas  
virtutem et voluptatem muliebri et peculiari habi-  
tu ornatas obuiā habet. a quibus ambas uias edo-  
ctus Virtutem tandē reiecta uoluptate complecti-  
tur. Vnde sibi per multos & graues labores. clarissi-  
mos progenitores tuos. et in primis te Maximilia-  
ne Cæsar Auguste imitās. iter in cælum dubio pro-  
cul sibi extruet. Aduerte iam pias aures imperator  
faustissime et rem (vt sit) paucis cognosce.

D. I. X. l.

CAROLVS HEREMITA



## HEREMITA

Deus. quantis et quibus humana uita subiecta est  
piculis? Hoc ego adeo iam sensi. dum fratrem vnū  
eiusce heremi incolam querito. Penę. n. in uersuti et  
callidi humani generis calumniatoris incidissem la  
queos. Ita me miserū circumuallauit insidiis carni  
fex. Ut nisi opt. max. dei adiutus manu. tot annorū  
labores. in vnus hōe spatio pdidissem. Nunc ego  
domum redeo. & pro hac gratia. grās agam domi  
no. qui me de sequentis draconis faucibus eripuit.  
Nec facile (ut modo) deinde egrediar. Omnis. n. ui  
as Proserpine maritus circumsepsit latronibus.  
Sed quem ego hic uideo? pape. adulescētem. forma  
certe diuina. miror ubi anteuertit. aut quid hic re  
rum gerat. quū raro admodum homines huc iter fa  
ciant. Adibo. uie causam cognoscam: Heus tu quis  
quis es. siste gradum.

GAROLVS

Quis me uocat.

HEREMITA Ego. huius heremi cultor. pax  
tibi adulescens CAR. Et tibi venerande senex.

HER. Quid tu hisce tam obscuris in regioni  
bus? quis es? unde tibi cursus. & quo tendis? Miror  
equidē. q̄ te hominē hic uideo. cū per vnde uiginti  
annos (quibus in hac uasta solitudine uitā egi mi  
ser) nullus vnquā uestratū hominum mihi uisus sit.

CAR. Quid hic agam. & quo pergā nescio. Sed  
qui sim. et unde. paucis accipe. Philippus Castellę  
rex. qui quarto hinc anno. cū ingenti totius Europe

luctu & gemitu uitam reliquit. is pater mihi fuit.

HER. Hominem noui in prima etate. antequã hanc heremum ingressus essem. Et ( si non fallor ) ipse ille est Philippus. quẽ diuus Maximilianus imperator. ex Maria optima Burgundionũ ducis filia sibi genuit. Anno a natali Cũstiano septuagesimo octauo. supra millesimũ et quadringentesimum.

CAR. Recte putas. HER.

Non me meã fefellit opinio. nam te ex illustri stirpe ortum iudicabã. Sed perge obsecro quo pacto huc delatus es. tua ne spõte an errore. siue sage alicui? ueneficẽ incantacionibus proreptus. graui dolore tuos afficies credo.

CAR:

Hodie anteaq̃ Phœb? nostrẽ arcis illuminasset culmina. egressus vicinam in siluam hanc. vna cum ministris. mgro equitum. cæterisq; meis aulicis et necessariis. ut uidelicet feris tenderemus retia. et venandi (ut fit) studio nostros a curis. paulisper abduceremus animos. Accingimur operi. retia ponũtur. resonant cornua. in uacuum canes aera latrant. occupant suas quisq; custodias. Hæc dum fiũt. forte accidit. vt præstantis formæ ceruus præ me citissimẽ saltim q; cursitaret. Cuius ego specie captus: equi gradarii mei (q; ad quercus ramũ ligatus erat) oblitus. et q̃ntum potui insequor. Qui vbi huc ventum est. euauit ex oculis. meq; solum hic reliquit.

HER. Aduorto. non hæc sine mysterio scio.

CAR: Spero affore q; me queritãt breui. utinam

recta huc eant uia . Atq; audin? molossum audio .  
philactora et agren.                    **HERE.**

Quos tu hic nominas?                **CAROLVS.**

Canes meos.                            **HEREMITA.**

Prope igitur sunt . spera, ego hinc abeo ; hic proxi-  
mum est cella, quam uisere me oportet. Tu acci-  
pe cornu et signum sane querentibus te.

**CAROLVS.**                    Recte mones pater, ego hic  
te expectabo sub hac umbrosa quercu, dum redeas  
sed fac amabo ,illico.                **HERMI.**

Iam adero                                **CAROLVS**

Inflabo, yt ipso sonitu ad me ducantur. pif. pif. pif.

VIRTVS CAROLVS VOLVPTAS



**VOLVPTAS.** Cornū respōdet pif. pif. pif.  
**CAROLVS:** Dii me saluū volunt. qui me  
ex hac solitudine tam cito reduci cūrarūt. nimum  
sollicit⁹ fui. ne quid mali mihi accideret. ne fera ali  
qua prorumpens inermem me dilaniaret. Ibo ob  
uiam meis familiarib⁹. Sed senem me hic expecta  
re oportet. ita. n. p̄flicitus sum. redeat modo. At  
at: pro deū atq; hominū fidem / vigilo an somnio :  
uideo hercle. quid: heremita non est. dianā esse reor  
si fabulis credere licet. quorsum nam illud excidet :  
Criste adsis mō mihi. te rogo. ne demon mihi ma/  
lus fraudem inferat. **VOLVPTAS**

**O** p̄redam insignem. nostraq; amicitia dignissimā  
nūc arte opus est / ut delicatū hunc puerū sub meū  
abducam imperium. firmissimis uinculis ligandus  
est. Solent. n. fere omnes ab hoc genere austriaco  
palmites. nescio quo pacto mihi resistere. nec ut re  
liqui mortaliū blandos vultus ostēdere. Maturabo  
rem. nam uirtus dea. a tergo sequitur quā scio p̄cu  
pidam esse. hunc ut mihi diripiat adulescentē. Sed  
preueniam. Esto bono animo adulescens ne me ex/  
horreas. nā bona tibi apporto. **CAROLVS.**  
Felix faustumq; mihi sit quicquid id erit. Sed quis  
es. nisi. n. religio mea aliud suaderet vnā e nimphis  
te crederem. quas stulta olim antiquitas siluis erra  
re/uenationibusq; insistentes omne eum contri  
uisse crediderunt. **VOLVPTAS**  
Non nimpha ego solum. sed nimpharum dearūq;

omniū princeps Voluptas uocor. **CAROLVS**  
Nomen teneo. quod regnum. **VOLVPTAS**.  
Domina ego sum uoluptas. orbis regina. si me au-  
dies. preceptis q̄ meis parueris. faciam te fortuna-  
tissimum. **CAROLVS.**

Quid tu mihi præcipies. **VOLVPTAS.**  
Præcepta mea suauia sunt. & sibi melle dulciora  
Hiis. n. mihi totum terrarū orbem deuinxi. Hiis re-  
ges & principes. hiis senes & iuuenes. docti & indo-  
cti. pauperes & diuites. ciues & agricolæ. sacerdo-  
tes & monachi. obsequuntur. Hiis deniq̄ in horren-  
dis abditi. lustris & speluncis plures capiuntur. om-  
nes me colunt & uenerantur. Amplissima est pote-  
stas mea. Vbicunq̄ sum seruos & ancillas habeo /  
ville. pagi. oppida. ciuitates. prouincie. regna. om-  
nia plena sunt dominationis meæ.

**CARO.** Et quo pacto tibi seruiendum est.  
**VOLVPTAS.**

Ducam te in loca plena. omni genere florum atq̄  
fructuū delectabilia. ybi oīm rerū opulētia. honor-  
quies. uoluptas. illecebrę. om̄is iucunditas. & om-  
ne gaudiū abundat. Illic siluę semp frondentes. læ-  
tisq̄ ouiu cōcentibus resonantes. Illic fontes limpi-  
dissimis aquis scaturientes. quos circū uiolæ. lilia.  
rosę & flores odoriferi suauiter spirātes. Illic prata  
uirentia p̄ que riuuli labuntur candidis lapillis im-  
murmurantes. Illic palatia magnificis opibus con-  
structa. in quibus cibariorū copia. apotecę uino &



et omni poculentorū genere refertę. Ad sunt & lecti  
aurei strata plurima / uasa auro et argento celata.  
Mensę conquisitissimis epulis extructe, & eximia  
forma pueri ad nutū cuiusq; diligenter ministrātes  
Ad sunt vnguenta / coronę / odores / et omne delicia  
rum genus. At si que harum satietas rerum ceperit.  
Prope silua est mörtea . in qua præstanti forma  
pueros & puellas p̄petuis choreis sese exercētes  
contemplabitur. Hęc tua erunt studia, hiis tu mihi  
famulaberis, hiis te dignum iudicauī. **C A R O.**  
Ita me deus adiuuet domina uoluptas. nimium me  
tuis cōmouisti sermonibus, Itaq; nequaq̄m tibi re  
fragabor. Sed me tuę trado & dedo potestati. libēs  
& impigre mandatis tuis obediens. Sed vnū te oro  
licet ne quosdam ex amicis meis cōuocare. mecum  
q; vna ducere.

#### **V O L V P T A S.**

Adducam tibi quotquot uoles, ne cures. Abeamus  
modo. paruus, n. adhuc Phœbo restat labor iam p̄  
perat occiduis equos mersurus in vndis.

**C A R O L V S.** I. præ. sequar



## VIRTVS,

Quo tu abis adulescens ignauissime. siccine blandis & mellitis huius uerbis aures accomodas, siccine te abduci sines? fatius esset mihi crede, te a feris frustulatum discerpi. q̄m ab hac impudentissima bestia occisum iri.

C A R O.

Quid tu mihi tam temerario ausu insultas. o femina? quid tibi mecum? an melius consultura mihi es q̄m uoluptas. Loquere ergo/nam te quoq; audiam sed uelim scire que sis.

V I R T V S

Ego sum qn̄a in templis/in foro/ in curia/ pro muris isto. puluerulenta/colorata/ callosas habeo manus/ nulla mihi uia inuia est. Vitiū fugo/ doceo qd rectum/ quid utile/ quid honestū/ omnia adsunt penes quē ego sum. eque mihi celebre nomen est atq; huic, sed a paucioribus accipior.

CAROLVS. Quamobrem uirtus VIRTVS

Quia ut uides uestitus est simplex. hęc autē splendido ornata est habitu. Præcepta mea dura uidentur huius contra mollia. sed si finem amborū inspicias libentius meis q̄m huius obsequeris.

CAROLVS Quę sunt tua præcepta. edoce.  
VIRTVS Si ueram & immortalē gloriam adipisci desideras uestigia mea ingredi. meq; quocunq; iero diligenter obseruare oportet. Vię autē ille sunt difficiles & cliuosa/ spinis horrentibus asperæ/ saxi præduris & altis impeditę. adeo. ut cum summo labore & pedū tritu, cumq; magna cadendi sol

licitudine sit gradiendū. Atq; esuriendū est/ sitiendū  
humi quiescendū/ uigilandū/ periclitandū/ estus &  
frigora pferēda/ paupertas/ ignominia/ labor & ama-  
ritudo & cætera id genus amplectenda, Verum ubi  
gnauiter/ fortiterq; cursū illū pfeceris, arduū quē-  
dam & sublimē verticē/ angusto quodā calle & sa-  
lebroso ascendes, ubi mihi solū excelsū constitutū  
est, meq; illę sorores cultu nō tam curioso qm libe-  
rali circūstant, Iusticia/ tempantia/ patientia/ fides/  
castitas/ abstinētia/ cōcordia/ scientia/ veritas/ sapi-  
entia & reliquæ, Oibus vero sunt coronę in manib9  
quibus ad se uenientes superato iam labore tanqm  
uictores coronare solent, Postea omne tēpus absq;  
omni cura et sollicitudine transigent.

Hic choreę cantusq; uigēt passimq; uagantes

Dulcesonant tenui gutture carmen aues

Fert casia non culta seges, totosq; pagros

Floret odoratis terra benigna rosis.

Hæc o Carole mea sunt præmia qbus cultores me-  
os munerabo At uoluptatis lōge feci9. Namqd est  
ī greco edone adelphe est in eliptę, uoluptati soror  
est tristities, Sed & alias habet sorores iniusticiam/  
crudelitātē/ supbiā/ pfidiā/ libidinē/ cupiditatē/ di-  
scordiā/ ignorātiā/ mendatiū/ stulticiā & innumeras  
alias, Ducit aut ipsa suos p loca amena. sed cū ven-  
tum fuerit ad extremū ynde iam regredi nō licet cū  
omni sua pulcritudinē tam subito p cipitat, vt nō añ  
quis fraudē pspicere possit, qm p cipitatus in altitu

b

dinem profundam cadat. Proponā tibi paucos ex  
ministris eius quorum sine quem sortiti sunt pspe/  
cto cætera clarius cognosces. Sardanapalus Assiri  
orum rex inter scortorum greges purpuram colo  
rens. & muliebri habitu. cum mollicia corporis &  
oculorum lasciuiā omnes feminas anteiret. pensa  
inter uirgines parcens a suis inuentus est. nōne ex  
tracta pyra et se et delicias suas in incendium misit  
hic fuit finis uoluptuarij uiri.

Haud dissimilis illi Xerxes fuit. Sed quid de Nero  
ne Claudio, qui ppter nimiam potationē pro Ne  
rone Mero, pro Tiberio Biberis nūcupari meruit  
Sic uitellius. Heliogabalus, Gallienus imperatores  
Roma. Sic Millefii. Sibarite. Tarentini illi molles &  
delicati quorū oīm finis turpissimus & miserrimus  
erat. Infinitos tibi referre possem. si uacaret. Vnum  
addam Democlem qui sibi nimiū fortunatus uide  
batur dum in hoc tā magnifico apparatu Dionisii  
Tyranni accumbebat. vbi vero gladium fulgentem  
e lacunari. seta equina appensum dimitti, et capiti  
suo imminentē uideret. regias illas delicias omnes  
aspernabatur. Talis est profecto uita ista uoluptua  
ria, quā tibi domina uoluptas fucatis uerbis paulo  
ante pollicita est. Possem & apibus haud incōueniē  
ter comparare. uitam hanc, quæ æstate mellis dulce  
dine captæ. floribus insidentes nimum morantur  
donec flores cedente iam Sole. clauduntur. sicq;  
ipse in sua uoluptate pereunt. At si tu meos pugna

tores uideas inuenies eos post multos labores. et  
preclara opera immortalī gloria donatos. E quorū  
numero nobilissima illa gens ( ut exteros omittā )  
Romana. quanto studio me p̄secuti sint. totus or-  
bis plen⁹ est. Scip. Metelli. Fabij. Horacij. Catones  
& fulmen illud mundi terrifi- um. Iul. Cæsar a quo  
tu & genitores tui nomen ducitis. Sed quid opus  
est. priscorum seculorum mille tibi exempla com-  
memorare. cum nostro etiam tempe tua progenies  
clarissimos uiros p̄duxerit. quales fuere. Leopoldi;  
Henrici/ Rudolphi/ Ottones. Alberti/ Fæderici/  
Austriaci nomīs clarissima lumina. Latislaus item  
et Phillipus pater tuus. Et splendidissimū Roma.  
imperii. columen. diuus ille Maximilianus tuus ex  
patre auus. Cui tanta laus debetur vt multum tem-  
poris in hiis enarrandis non sufficeret. Nam a cu-  
nabulis ipsis uestigia mea amplexus. duos & per-  
petuos labores sustinuit. totos dies sub armis &  
diro Marte peregit. Multa bella fortiter & fœliciter  
confecit. in aduersis nunq̄m deiectus. in prosperis  
nunq̄m elatus est. Semper se æquum ad omnē for-  
tune incursum prębuit. Hunc tu fili mi unū ex om-  
nibus imitare/ hunc semper ante oculos habeto. &  
eris immortalis & beatus. nec ulla uia tibi erit inuia  
semper tecū ero. nunq̄m te deferam. Vbicunq; gen-  
tium futurus es. ab omnibus diligeris.

CAROLVS

b ij

Pro dii immortales, q̄m optabile iter illud ineundū  
esse debet? quo confecto nulla reliqua cura - nulla  
solicitude futura est. Abi tu modo . Apage te cito  
domina uoluptas cū tuis fraudulētis p̄suasionibus  
Ego hanc sequar, et quo ad uiuā eam nunq̄m relin-  
quam.

FINIS.

DE ORIGINE INVICTISSIMI  
imperatoris Maximiliani sem-  
per augu, Saphicum

Austriae clarum genimen canamus.  
Quo tot illustres animę creatę  
Iam suo terras superas q̄ sedes,

Ordine complent

Maximi Clio soboles Tonantis  
Huc ades nostrum q̄ iuues laborem  
Dic auos nobis, atauos, & altum

Cæsaris ortum

Rite si fastos repetas perennes.  
Et ducum primordia si requiras.  
Sæculis multis manet hæc origo

Maxmiliani.

Legimus quendam phrigiis ab oris.  
Diruta Troia Priamum profectum.  
Atq̄ Germanis statuisse primum

Nomina francis.

Inde post longam seriem dierum  
 Ad nouas sedes propriis relictis  
 Forte quærendas petiere campos  
     Parrhisiorum  
 Primus hic regni Pharamundus arma  
 Suscipit: sceptrum: simul & coronam,  
 Fitq; regnator populi potentis  
     Troius heros  
 Secla post octo generosus ille  
 Natus Hasburgi Comes est Rudolphus.  
 Imperatoris genus & propago  
     Maximiliani  
 Nanq; post quinos sequitur parentes.  
 Pace qui uidit sua Fœdericus  
 Tempora, & cuius capiti corona  
     Trina refulsit  
 Maximus de quo moderator orbis,  
 Hostium terror. gladius q; seui  
 Martis. et pridem grauidus triumphis  
     Emilianus  
 Vnicum natum tibi dira Cæsar  
 Flore mors primo rapuit Philippum:  
 At tuos nobis petimus nepotes  
     Numina seruent  
 O genus fœlix: nimiumq; dignum  
 Arce Tarpeia & triplici corona  
 Cuius et nomen. spatiosa mundi  
     Climata tangit



AD DOMINAM NOSTRAM

pro diuo Maximiliano impe-  
ratore. Oratio

Magna dei genitrix hominū regina deum q̄  
Auspicio cuius regitur tellus: mare, et alta  
X Christicolum rutili/ distincta pallatia flāmis:  
I n te confidunt omnes tu maxima cura  
Mæstorum, tu romani spes vnica regni  
I nceptis assiste meis, iustumq̄ precantem  
L ibera. et intactę mihi sit clementia matris  
I ngremio cui sancta puer premit ybera iesus.  
A spice vt innocuum laceret gens impia regem  
N os/ genus et nomen nostrū extirpare laborant:  
V sq̄ adeo gens infœlix agitata furore  
S equit/ et in nostrum cęca ratione perans  
C ircunquaq̄ furit regnum. ius occidit/ omnes  
A uri uexat amor/ sceleri. scelus insuper addunt  
E t quęcunq̄ petunt gelido tentare ueneno  
S acraq̄ maiestas nuper uix tuta manebat.  
A d te igitur fugio supplex tua numina poscens.  
R es age uirgo meas cunctis q̄ assiste periclis.

LEGATVS VRBIS.

Ad cæsarem

Maxime terrigenum rector tu maxime Cæsar  
Me caput atq̄ orbis dominatrix inclita Roma  
Mittit: et hæc rigidas iussit mandata per alpes.  
Ferre tibi. quę causa moræ. fatalia tandem.

Regna petas/nanq; hæc placuit sententia diuis  
Qui te rectorem Latio populisq; superbis  
Esse uolunt. Turnum vinctes fortissime Teucrunt.  
Perge modo/nam te iustus regnator olimpi  
Seruabit/ tristes casus/duros q; labores  
Finiet/egregia concedet præmia laude.  
O decus. o patriæ pater. o dignissime tanto  
Munere. uirtuti qui nunq; cesseris. inter  
Tot mortes. et tot bellorum vulnera perstans.  
At uelut in spinis rosa formosissima fulgens.  
I pete cæsaream merita pro laude coronam  
Auxilio plures aderunt Germanaq; pubes  
Prebebunt pulcros itali mihi crede triumphos  
Et te iam pridem expectat Romana iuuentus  
Hinc felix; regnisq; potens dominabere Cæsar  
Inq; dies crescet fama super æthera nomen.  
I. dominatricem. terrarum accedito Rhomam.  
Victor eris Cæsar cunctus tibi seruiet orbis.

Viue Cæsar

AD DIVAM VIRGINEM

Parce precor misero/mater/castissima virgo.  
In gremio que fers/pignora chara tuo.  
Nosce pium pectus. sana miserabile vulnus.  
In tempestiuas suscipe queso preces.  
Cum mihi spirabat rebus fortuna secundis.  
In studiis Diuę/ desidiosus eram.  
At tua magna satis patientia pertulit hostem  
Nunc quem nõ meritum. post tua uota trahis.

b iij

Vis mea non tanti est inimicas ferre sagittas  
Succurrat presens / ni tua cura mihi.  
Omnia sint igitur tibi commendata parenti.  
Ferueat immenso pectus amare tuo  
Fac mea ducantur felici stamina cursu  
Effugient quæ sunt crimina fæda / procul.  
Respice quod falso se uis me concutit hostis.  
Te moueant lacrimis / ora rigata meis  
V . C . M .

AD EANDEM HEXASTICON

O regina deum David generosa propago,  
O decus angelicum / lucida stella maris.  
Te matrem regis facit peccator Olympi.  
Eterno cœli nomine regna dedit,  
Presens ergo dei genitrix / per gaudia / tanti  
Muneris / auctori te precor esse uelis

ANTE SOMNUM ORATIO

Criste pater / deus omnipotens / dulcissime Iesu  
Te precor hac mecum / nocte manere uelis.  
Fac corpus somnum capiat / fantasmata desint.  
Et semper uigilet mens sine labe tibi.  
Sit presens animæ / custos meus angelus / et me  
Muniat ex omni crux ueneranda loco,  
Hinc procul effugiat / Sathan / procul omnia nro  
Crimina de thalamo / sit procul omne malum,  
Hic maneat sed tu maneat tua mater / et omnes  
Tecum cœlicolæ / sic bene tutus ero.  
A M E N .

DE ARMIS VENE  
TORVM

Audite o proceres/ domini terreque potentes  
Splendida Marcigenę cantabimus arma Leonis  
Egregium Veneti spoliū q; ab ethere raptum  
Figitur in summis malis/ et turribus altis.  
Scilicet ut toti faciat spectacula mundo.

Fortia cum starent Venetorum mœnia/longe  
Mercibus allatis/multum quoq; piscibus aucta  
Visum erat indignum sine stemmate nobilitati  
Viuere/principibus cum se conferret opimis.

Sed quæ tam clarę dubitant insignia genti  
Conueniant/ cogunt populum/ sanctumq; senatū  
Consulere in medium/ placuit sententia cunctis  
Quadrupedum regem signis adhibere/ quille  
Nobilior princeps brutis animalibus esset  
Seq; rati digne populo dominariet omni

Pingitur ergo Leo fuluus rutilantior auro  
Cui caput ethereo cingunt diademate/pennas  
Adnectunt humeris/ tetrum fert cauda colubrum  
Et sibi diuinos ascribit Marcus honores  
Bella parat Marcus. pacem Leo sanctus amet nunc  
Et discat stultum propriis confidere rebus.  
Instabili q; fere semper pede currere fatum.

Quid tibi nunc anio/ domiatrix inclita mundi?  
Num te consilii uel sero penitet acti?  
Non satis esse putas Aquilam uetuisse potentem  
Ne sibi pro meritis sacros deferret honores

Insuper austriaco pennas diuellere pauo  
Ausā, scelus sceleri cumulans ius rumpitur omne  
O regina potens vbi nunc sapientia / qua te  
Credebas cunctos supare homines q̄ deos q̄,  
Sit tibi Germanus stultus / sit barbara tellus  
Teutona / sit ludus Romanę pres biter vr̄bis  
Germanus fatui uest / oleumq̄ sacerdos  
Prebuit / ipsa tuos signauit Gallia vultus.

Quare alios pictę classes petiere magistros?  
An quia de domino dubiam timuere salutem?  
Sic proprias repetent sedes maleparta / doloq̄  
Quęsita ex multis olim regionibus orbis,  
Reddidit infelix diademata Marcus Iulo  
Gallus habet pennas iterum, pauoq̄ superbus  
Et gaudet propios. serpens tetigisse penates.

Ouanas hominũ mentes. o pectora ceca  
Sumite de Venetis exemplum & discite quid fit  
Conari contra stimulos. & temnere diuos.  
Gens quę mercatu nigros lustrauerat indos /  
Ceperat icarios ausus. sed perdidit alas.  
Et iacet antiqua ranis sociata palude,  
Quęq̄ fuit modico nuper letata triumpho /  
Languet, & est toto risus iam factus in orbe

#### AD AMICVM.

Vitę maxima pars amice nostrę  
Vitam dum superi mihi fauebunt  
Laudes Calliope tuas mouebit

Noctes atq; dies, meo nec vnq̄m  
Excedent animo / ioci lepores /  
Rifus / deliciae / fides / amorq;  
Ad quascunq; uias uocabor exul  
Stabit pro meritis amor perenne  
Tot me fata licet malis fatigent  
In ripa niueos aquæ quot æui  
Collegere manus tuæ lapillos  
O e præsidium / decus / uoluptas /  
Ros / uer purpureum / fragrans aroma /  
Magnos dii. superi ferant honores  
Et uiuas pyllos precabor annos.  
Virtutem quoties meam uidebis  
Mi carissime dic amice salue

Distichon

Inuidia nostræ periit pars maxima famæ  
Inuidia nostrum scandet ad astra decus.

Salutem ex inimicis nostris  
• V . G . M .

Magister Iohannes Othmar calcographus formis  
excusit, Auguste apud eodem diuæ Vrsulæ cis lychū.  
Anno, M, D, XI, .XXV. Marcii.

Cur te Magne tenet nostræ pars vltima puppis  
Venisti sero; et nauita uela dabat

Magni Haldenberger Landspergii


Ad lectorem

Qui cupis Herculeum factis æquare laborem  
Lernæum flamma perdomuisse caput  
Lasciuæ medio Veneri minitaries vngue,  
Et Samio dexteram calle tenere viam  
Huc auibus propera, / auctis / et fidere claro.  
Hic tibi Virtutis semita plana patet,  
Exiguus labor est (fateor) sed pondere magnus  
Et breuitate sua cōmoda multa feret,  
Sepius insolita trepidatur mole Tiphœus,  
Et vasti terrent æquora lata maris  
Perq; horremus iter montana cacumina longum;  
Et soleo densos extimuisse libros,  
Sepius et paruum multo rem vertimus ere  
Sunt magna exiguis deteriora bonis  
Hæc Adamas tenuis: Diamas, uiridisq; Smaragdus  
Virtus Pinicū comprobet ista mei  
S . T . A .



B. VIII 8





B, VII, 8.

